Iter Auſtrale.

SIVE,

Auſtralis Expeditionis Suſceptæ, *Jan.* 20. Anno Domini, 166$\frac{6}{7}$. & Finitæ, *Maij* 12. Anno Domini, 1667,

NARRATIUNCULA:

Reverendiſſimo in Chriſto Patri, ac Honoratiſſimo Domino, *D. GILBERTO*, Providentia Divina, Archi-Epiſcopo *Cant.* totius *Angliæ* Primati, & Metropolitano, ſubmiſſè miſſa, & humillimè Præſentata,

A

ROBERTO Le GROSSE, *Cleric.*

D. Oecumenico, in Nave Præfectoria, Cui nomen, The Deſiance, *illac Expeditione Capellano.*

Οὐ πολλὰ μέν, Ἀλλὰ πολύ.

LONDINI,
Excudebat *T. Milbourn*: MDCLXVII.

Reverendissimo in Christo Patri, ac Honoratissimo Domino, *D.* GILBERTO, Providentia Divina, Archi-Episcopo *Cantuariensi*, totius *Angliæ* Primati, & Metropolitano.

Εὐζῆν· Εὐοδοῦσθαι· Εὐδιάγειν·

Reverendissime in Christo Pater, & Honoratissime Domine,

QVòd Australis nostræ Expeditionis Narratiunculam scripserim, & quamprimùm, ad reditum nostrum in Angliam, *portum occupavimus*, Reverentiæ Vestræ Eminentissimæ *per Tabellarium Præsentârim, insolentiæ tantæ jamdudum impetravi Veniam: Quòd amicorum quorundam suasu,* (*ut* Herculeum *illum, Exemplaria minimè digna transcribendo, laborem evaderem,*) *absq; licentiâ à* Dominatione Vestra Reverendissima *priùs acceptâ, per Typographum, publicam nunc facio, Excusandum spero, Excusari peto. Quâ fiduciâ fretus, ne*

longior fiem Præfatiunculâ, (haud aliter ac Myndorum portæ, quæ Civitate ipſâ fuerunt ampliores) quàm fuerim Narratiunculâ, & ſic prolixitate noſtrâ Benignitati Veſtræ *faſtidioſior, Currenti calamo carceres iniiciam; Meq;* Reverendiſſimæ Veſtræ Paternitatis *tutelæ, non ſine ſummo* Paſtoralis Benedictionis *aucupio, humillimè reſignans,* Reverentiam Veſtram Archiepiſcopalem *Clientelæ ejus (Tutani) qui (uti Sanctus* Petrus *Apoſtolorum Coryphæus digniſſimè habet) non modò* ὑπεξασπιστὴς *eſt, ſed, &* Ἀρχιποίμενα, & Ἀρχιεπίσκοπον τῶν ἡμῶν ψυχῶν, *devotiſſimè Commendo.*

Reverendiſſimæ Veſtræ Paternitatis

Obſequentiſſimus Filius,

&

Ampliſſimæ Veſtræ Dignitatis

Deditiſſimus Servus,

Ro: Le Groſſe.

Musæolo noſtro, *Londini* ſuburbiis, Feſto Sti. *Jacobi*, Æræ Salutis, 1667.

ITER AUSTRALE.

Reverendiſſimo in Chriſto Patri, ac Honoratiſſimo Domino, *D. GILBERTO*, Providentia Divina, Archi-Epiſcopo *Cantuarienſi*, totius *Angliæ* Primati, & Metropolitano,

Εὐχαίρειν· Ὑγιαίνειν· Εὐπράτ∫ειν·

Reverendiſſime in Chriſto Pater, & Honoratiſſime Domine,

SI, inter multiplices *Paternitatis Veſtræ* Curas, & tam varias, in *Eccleſiæ & Reipublicæ Literariæ* ſtabilimentum & emolumentum, ſollicitudines, quid interſtitii forte acciderit, ut *Benignitas Veſtra* in memoriam recolligere Tantilla condeſcendat; Spero non moleſtum fore *Reverentiæ Veſtræ Eminentiſſimæ* recordari, quòd ad diſceſſum noſtrum è *Londino*, Brumalis Expeditionis ſuſcipiendæ gratiâ, & jam, *D. O.* Maximo gratias finitæ, *Paternam Veſtram Valedictionem*, in meliorem noſtrum progreſſum anhelans, non modò *Paſtorali Veſtrâ Benedictione* religioſiſſimè ſum dimiſſus; ſed & in hoſpitium, & ad menſam, ultra meritum, & præter omnem expectationem, apparatu, *Sedi Archiepiſcopali* minimè indecenti,

centi, ſed apprimè digno, humaniſſimè acceptus. Jamq; meditanti mihi, & animo mecum repetenti, quid, pro tantâ beneficentiâ, tam immeritâ, tam inſperatâ, *Paternitati Veſtræ* Ἀντιπελαργίας vice retribuerem; aut quibus Gratitudinis indiciis, & obſequii officiis, animum meum non ingratum oſtenderem; Nihil aliud, impræſentiarum, me, homuncione infimo, magis dignum, & *Reverenentiæ Veſtræ Eminentiſſimæ* magis indignum, in mentem occurrit, quàm Synopſin quandam, ſive Narratiunculam *Profectionis* noſtræ, & eorum, quæ in illâc Expeditione δυσόπτως Vidi accidentium, Cæſuratim ſcribere, & *Ampliſſimæ Veſtræ Dignitati* præſentare. Et quamvis inter Verba & facta nulla ſit, ſaltem impar æquiparatio; Apud animum tamen gratum, (Si quid Poetæ fidei adhibendum) *In magnis eſt Voluiſſe ſatis*: Et, *Si deſint Vires, tamen eſt laudanda Voluntas.* Ne ſit itaq; grave (*Reverendiſſime Præſul*) Voluiſſe noſtrum; ſed acceptione veſtrâ gratioſâ fiet Valuiſſe: Et Scriptiunculam iſtam, Qualemcunq;, ſeverioris veſtri judicii ſubire examen nulli modò dignam, non dignare modò in manus accipere, ſed & favoris Veſtri radiis illuſtrare; &, quâ ſoles fronte, humanioris Muſæ delicias legere, & fovere. Maxima quidem hæc eſt gratia, & fortaſſe, dicat aliquis, præter ſpem: Regero autem Ego, & quid ni ſperem? Nonne ab *Albione* ſpem faciunt *Albæ Deæ*? Immo, & narrant. Iſthâc ergò ſpe ſuffultus, ad ſuccinctam, ſive Compendiariam, noſtræ Profectionis Auſtralis delineationem, me accingo. Placeat itaq; *Benignitati Veſtræ* intelligere, quòd auſpiciis bonis, (temporibus hiſce malis) Profectionem noſtram, Meridiem verſus, ineuntes, & melioribus. *Paſtorali Veſtrâ Benedictione* inaugurati, Vigeſimo die *Januarii* ultimum elapſi, Oſtio *Thamiſis*, Communiter dicto, *The Buoy at the Nore*, Soluentes, in Nave Prætoriâ, Cui nomen Denunciatio Belli, Anglicè, *The Defiance*, in quâ Præfecturam habuit, uti & totius Claſſis, *Johannes Kempthorne*, Vir Singularis ingenii & fortis,

nec

nec minoris Fidelitatis quàm Fortitudinis, & Rei nauticæ in illis partibus Expertiſſimus, Cum quinq; aliis, in Conſortio, Regis navibus Præſidiariis, Viz. *The Cambridge*, *Fairfax*, *Dreadnought*, *Dunkirk*, & *Centurion*, intra triduum, Cameram Regis marinam, Vulgò *The Downs* dictam, applicuimus; & fixis anchoris, per quindecim dierum ſpacium, Naves quaſdam mercatorias, de Statione, *The Hope*, Uſitatè nominatâ, in Mare deſcendentes, & in Mare *Mediterraneum* proficiſcentes, præſtolando Commorati ſumus. Sed mandato, à Domino ſupremo *Angliæ* Thalaſſiarchâ, de Navigando, accepto, & favente vento, anchoras iterum quinto die *Februarii* ſoluimus; & legentes littora, poſt biduum, Cauſettæ ſinum, juxta *Plimmoutham*, introivimus. Hîc dimiſſis anchoris, alteras Naves mercatorias, &, inter has, Complures Regio Commeatu onuſtas, Conductu noſtro tranſuehendas, in ſeptimanas duas, aut eò circiter, expectantes, ſeptimo *Martii* denuò ſoluimus. Jamq; velis expanſis, & in altum provecti, Virtute *Paternæ Veſtræ* Εὐλογίας feliciter progredientes, Curſum ad *Tangier* deſtinavimus; & intra duodecim dies, ad Præſidium illud *Anglicanum*, in extremis Barbariæ oris ſitum, fœliciſſimè, (Si non una Navis mercatoria, Cui nomen, *The Winchelſey*, ad trigînta mille, plus minùs, minas æſtimata, Nauclero & epibatis illam deſerentibus, in aquis periiſſet,) ferebamur. Dein, Navibus mercatoriis hic in tuto poſitis, poſt biduum exanchorantes, ſecundis velis *Hiſpaniæ* littora ſublegentes, non ſine magnâ Tempeſtate ſubitò exortâ, & diutiùs paulò ſedatâ, Inſulam *Cadiz* petentes, in novem horarum ſpacio, illo portu, anchoris fixis, ſecurè, etiamſi non ſine curâ, ſubſtitimus. Hujus Urbis, antiquitùs *Gadis*, non tam opulentæ quàm lutulentæ, (quod & Proverbio fidem facit, Ubi lutum, ibi & aurum) Videndi gratiâ, Cum nos in terram Contuliſſemus, humaniter ab *Anglis*, etiam & ab *Hiſpanis*, mercatoribus, ſed non niſi ſpe eorum Commodi allectis, amplexi ſumus.

Priuſquam

Priuſquam verò huic Urbi valedicimus, Unum reſtat, quod, non ſine errore magno, quia notatu digniſſimum, omittere poſſum. Perendie poſt appulſum noſtrum, maximum illic, apud *Hiſpanos*, Celebrabatur feſtum, eò quòd *Romanus* Pontifex, *Alexander* ſeptimus, in Cathedrâ *Petri* jam ſedens (uti ſomniant & gloriantur *Papicolæ*) Bullas ſuas, ſive literas, quas Vocant Indulgentias, plumbeo ſigillo notatas, (quarum unam oculatus Teſtis Ego vidi) Omnibus, præcipuè divitibus, in peccatorum omnium, tam præteritorum quàm futurorum, uti nobis retulerunt, Condonationem, in neſcio quot mille annos, Clementiſſimè donavit. Sed iſthoc obiter, &, ὡς ἐν παρόδῳ, quod aiunt *Græci*. In porticum itaq; ut Narrationis redeam: Iſthinc Navigia mercatoria, quæ, ſub vexillis noſtris ex *Angliâ* Conduximus, & alia, mercibus *Hiſpanicis* onerata, & in *Angliam* reverſura, tres hebdomadas plus minùs expectati, decimo tertio Calendas *Aprilis*, reditum in patrias oras inſtituti, anchoris ſolutis, vela fecimus, & in Oceanum Occidentalem provecti, poſtero die Claſſem mercatoriam è *Malagâ*, vino, vuis, & aliis mercibus refertam offendimus; &, poſt Salutationem invicem factam, Comiti, curſum rectum in *Britanniam* direximus. Sed decem dies ventis Contrariis agitati, & huc illuc circumacti, Concilio vocato, curſum deflexímus in *Ulyſſibonam*, quæ fit Metropolis *Portugalliæ*, ad Tagi fere oſtium Conſtituta, ubi velis Contractis anchoras dimiſimus, haud procul ab Inſulâ *Bell-Iſle* nuncupatâ, & in ſinu de *Wares*; uti dicitur, ἔξω βέλων, ſecundum Proverbium *Græcum*, ſive extra *Bombardæ* jactum, Conſtitimus. Hîc, dum quaidam reſarcire Naves, injuriâ tempeſtatum laceratas; & aliarum malos, ventorum violentiâ diſruptos, reparare Conſedimus, Præfectus Claſſis duas Naves Regis ſpeculatorias mandabat in Altum, quæ tres Naves Ceperunt; duas ad *Gallos* pertinentes, (quarum una, quæ habuit nomen Sti. *Michaelis*, octogenorum doliorum Capax, tritico onerata eſt; altera, Cui nomen *Madonna del Roſa-*

rio,

rio, ducentorum doliorum, Sericis, & aliis mercibus, majori in precio, instructa fuit:) Et tertiam, Cui nomen St. *Peter*, quadraginta doliorum, aut eò circiter, Secali onustam, ad *Hollandos* referentem. Et quamvis Harum in gratiam Rex *Portugalliæ*, per Advocatum suum, contra Præfectum Classis nostriæ protestatus est; Nihilominus duæ, quæ ad *Gallos* pertinebant, sunt Venundatæ; & *Hollandorum* tertia, Captiva restat, & Regiis Navibus Præsidiariis ad manum inservit. Tandem Classe nostrâ refectâ, & Commeatu instructâ, decimo nono Calendarum *Maii* soluentes, velis expansis in Oceanum provehimur; & postero die, vento haud Favonio, & multos dies adverso Continuante, nec non vehementer ruente, huc illuc fluitando, accessimus & recessimus. Deniq; ex multis procellis eluctati, Vicesimo septimo, sub discessum nostrum ab *Ulyssibonæ* rupe, littus *Anglicum*, inter Sillinas & Bellerium Promontorium, (Terræ quod dicunt finem,) aperientes, Classe attigimus; & littoris oras legentes, die *Veneris*, decimo instantis *Maii*, velis secundis, Chersonesum, sive Promontorium occiduum, *Lizard* usitatè nominatum, præternavigavimus; & proximo mane, littora juxta *Plimmoutham* præteruecti, reliquam Classis partem à puppe expectavimus. Jamq; Concilio ad horam decimam Convocato, Conclusum fuit, ad majorem Classis securitatem, *Portlandiæ* sinum introire, ut Consuleremus, & pleniorem, de rebus inter nos & inimicos nostros agitatis, notitiam Capesceremus. Ex hoc proposito vela facientes, horam circiter sextam Pomeridianam ad portum nacti, in illo sinu, anchoras dimittentes securè stetimus. Hac tempestate, Scaphis in terram missis, & acceptis litteris, Corpus Capitanei *Mohun*, nuper defuncti, è Nave Regiâ Præsidiariâ, Cui nomen *Dreadnought*, & cujus Præfectus fuit, non sine funebri pompâ, in *Weymouth* exposuimus, Singulis Navibus Regiis Præsidiariis, & quibusdam mercatoribus, luctum suum, si non Atris & lacrymis, saltem pulvere nigro, ni-

tro Confecto, duodecim *Bombardis*, ob amiſſum Viri tam generoſi, & Capitanei ſtrenui, exprimentibus. Hiſce actis, ad undecimam noctis horam, ſive ad mediam noctem propiùs, ſi non propriùs, Claſſis Præfectus, *Bombardæ* ſonitu, ad exanchorandum Signum dedit: Et diluculo, ſive primo mane Dominicæ, ſolutis anchoris vela fecimus; (Quo temporis (heu) momento, una, è Navibus Regis Præſidiariis, quæ *Pembrochia* nuncupabatur, anchoram ſoluens, in alteram grandiorem, Cui nomen *Fairfax*, inauſpicatò impingens, illicò in imum Maris fundum, Cum ſex epibatis, ſive nautis, miſſa eſt) & proſpero flatu in Stationem, Vulgò dictam, *The Spit-Head*, haud procul à Præſidio Regis ad Portûs-oſtium, ſive *Portsmouth* Contendentes, Contractis velis, & affixis anchoris, portum multò deſideratum applicuimus, & Expeditionis noſtræ Auſtralis feliciter, & infeliciter, finem fecimus. In iſthac Expeditione (ut miſſos faciam, quanti fuêre, & etiamnum ſunt Valetudinarii, quibus, Noſocomio potius ineſſe quàm Regiæ Claſſi, ſi non magis neceſſarium, Convenientius fuit) Capitaneus unus, Capellani duo, (quorum Unus febre correptus eſt, Alter flumine abſorptus fuit) Officiarii multi, & Claſſiarii milites, et epibatæ quamplurimi mortui ſunt.

Jamq; Narratiunculâ noſtræ Expeditionis, ut ut Craſſâ, quod aiunt, *Minervâ*, & levidenſi ingenii filo Contextâ, Cum Expeditione ipſâ, finitâ, *Dominationem Veſtram Reverendiſſimam* à negotiis veſtris ſublimioris ſubſellii, & magis ſeriis non morabar; ne prolixitate nimiâ *Reverentiæ Veſtræ Eminentiſſimæ* nauſeam Cream. Pauſam itaq; ſcribendi faciam; & ſupplex, ad *Paternitatis Veſtræ* pedes me Coniiciens, humillimè oro, ut inſolentiæ noſtræ, iſthac rudi deſcriptiunculâ, impetretur Venia. Et, ſi non faſtidio fuerit, inſuper *Precatiunculam* addam. Ut, poſt tot exantlatos labores, incarcerationes, vulnera, ſpolia, & alias perpeſſiones Domi; poſt tam varios Peregrinationis Caſus, per quinq; Trieterides,

apud

apud exteras gentes foras; post tanta Belli, terrâ Mariq; Regis, Ecclesiæ, & Reipublicæ Causâ, Domi foriq; accumulata discrimina; Tandem, tumultuoso Maris negotio deposito, jam Sexagenarius, & sic, (ut olim apud *Romanos*) miles Emeritus, aliquando in Terrâ, Latibulo quopiam, quo, me Deo, Ecclesiæ, & Reipublicæ securiùs, si non meliùs devoveam, in Silicernio, *Paternitatis Vestræ* favore potiar. Quod ut fiat, Deus Optimus Maximus *Reverentiæ Vestræ Eminentissimæ* Concedat, ut, serò in Cœlum rediens, diutiùs in hoc sæculo incolumis Sedeat; &, in futuro, Cum beatis omnibus in æternum fœliciſſimè Vivat. Hæc sunt Continuè in ejus Votis, qui Gratiâ Vestra fit,

Reverendissimæ Vestræ Paternitatis

Obedientissimus Filius,

&

Amplissimæ Vestræ Dignitatis

Humillimus Servus,

Ro: Le Grosse.

E Nave Prætoriâ, *The Defiance*, in Statione, Vulgò dictâ, *The Spit-Head*, haud procul à *Portsmouth*, Idibus *Maij*, Anno Domini, sive Ærâ Salutis. 1667.